

EXERCITATIO PHILOSOPHICA,
QUA
ACADEMIÆ LAUDANDÆ
NATURA OSTENDITUR,

EAQUE
ACADEMIÆ MARBURGENSI
APPLICATUR,

QUAM
AUSPICIIS
SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,

DN. FRIDERICI,

HASSIARUM LANDGRAVII, RELIQ.
ACADEMIÆ MARBURGENSIS RECTORIS
MAGNIFICENTISSIMI,

PRÆSIDE

JO. ADOLP. HARTMANNO,

HIST. ET ELOQ. PROF. P. O.

PLACIDÆ

DD. COMMILITONUM DISQUISITIONI

AD DIEM XIX. APRILIS ANNI MDCCXLI.

HORA ET LOCO CONSUETIS

SUBJICIET

JO. GEORGIUS NEUTZENIUS,

GREBENSTEINA-HASSUS.

MARBURGI CATTORUM,

TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD. TYP.

38.

a. XCVII. 51.

oll. diss. A
7, 51

ACADEMIAE MARIENBURGENSIS
 RECTORIS
 DR. FRIDERICI
 HASTIACUM LINDGRAVIL RECTORIS
 ACADEMIE MARIENBURGENSIS RECTORIS
 MAGISTRICENTIS
 JO. ADOLPH. HARTMANNI
 HISTORICUS
 DE COMMUNITATE MARIENBURGENSIS
 AD DUM X. MENSIS APRILIS
 HONORIS LOCO CONSULIS
 JO. GEORGII WITTENBERGERI
 CANTORIS
 MARIENBURGENSIS
 Typis THIBERTI CASIMIRI MULLERII, AGRICOLAE



EXERCITATIO PHILOSOPHICA,
QUA
ACADEMIÆ LAUDANDÆ
NATURA OSTENDITUR,
EAQUE
ACADEMIÆ MARBURGENSI
APPLICATUR,
QUAM
AUSPICIIS
SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,
DN. FRIDERICI,
HASSIARUM LANDGRAVII RELIQ.
ACADEMIÆ MARBURGENSIS RECTORIS
MAGNIFICENTISSIMI,
PRÆSIDE
JO. ADOLP. HARTMANNO,
HIST. ET ELOQUENT. PROF. P. O.
PLACIDÆ
DD. COMMILITONUM DISQUISITIONI
AD DIEM VI. MAJI ANNI MDCCXLI.
HORA ET LOCO CONSUETIS
SUBFICIET
JOHANN. HENRICUS LENTZ,
SONTRA - HASSUS.

MARBURGI CATTORUM,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI ACAD. TYPOGR.

EXERCITATIO PHILOSOPHICA
ACADEMIAE LAUDANAE
NATURA OSTENDITUR

ACADEMIAE MARBURGENSIS
SERENISSIMI ET CESSANTISSIMI PRINCIPIS
NO. ROMANI

DN. FRIEDERICI
HASSIARUM LANDGRAVI REGIS
ACADEMIAE MARBURGENSIS RECTORIS
MAGNIFICENTISSIMI

JO. ADOLP. HARTMANNI
Hilf. et Floquent. Prof. P. O.

DD. COMMITTONUM DISQUISITIONI
AD DIEM VI MAJ ANNI MDCCXII
HORA ET LOCO CONSUETO

JOHANNI HENRICUS LENTZ
Sontag - Hassus

MARBURGI - CATHEDRA
PHILIPPI CASIMIRI MULLER ADAM TROG

EXERCITATIO PHILOSOPHICA,
QUA
ACADEMIÆ LAUDANDÆ
NATURA OSTENDITUR,
EAQUE
ACADEMIÆ MARBURGENSI
APPLICATUR,
QUAM
AUSPICIIS
SERENISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,
DN. FRIDERICI,
HASSIARUM LANDGRAVII, RELIQ.
ACADEMIÆ MARBURGENSIS RECTORIS
MAGNIFICENTISSIMI,
PRÆSIDE

JO. ADOLP. HARTMANNO,
HIST. ET ELOQ. PROF. P. O.
PLACIDÆ

DD. COMMILITONUM DISQUISITIONI
AD DIEM XIV. JUNII. ANNI MDCCXLI.
HORA ET LOCO CONSUETIS
SUBJICIET

JOH. CONRADUS FAUST,
ZIERENBERGA - HASSUS.

MARBURGI CATTORUM,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD. TYPOGR.

EXERCITIUM PHILOSOPHICUM
QUA
ACADEMIAE LAUDANDAE
NATURA OSTENDITUR

ACADEMIAE MARBURGENSIS
APPLICATUR
QUAM
AUSPICIS
SERENISSIMI ET CELESTISSIMI PRINCIPIS
NO DOMINI

DN. ERIDERICI
HASSIARUM LANDGRAVII, RELIG.
ACADEMIAE MARBURGENSIS RECTORIS
MAGNIFICENTISSIMI
PRAESIDE

JO. ADOLPH. HARTMANNI
Hist. et Eloq. Prof. P. O.
PLACIDE
DB: COMMISSIONUM DISQUISITIONE
AD DIEM XIV. JUNII ANNI MDCCXL.
HORA ET LOCO CONSUETO
SUBJICIT

JOH. CONRADUS FAUST,
ZIEHNBERGA - HASSIUS

MARBURGI CAETORUM
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD. TYPOG.



I. N. J. C.

Quod omnes ii, qui aliqua sapientiae laude celebrantur populi, id ex ipsa rerum experientia, imo ipsa natura sua, scirent, liberos, a civibus suis genitos, demum fore illos ipsos, qui reipublicae suae olim in diversis muneribus pars essent futuri ea, a qua totius reip. salus, felicitas, imo perfectio conservanda esset & promovenda; eam obligationes suas inter non minimam semper existimarunt, ut Juventuti suae, ad commoda civitatis suae educandae, omnem impenderent curam, sollicitudinem consecrarent. Omnia, quae in eos fines commendatissimos ab omnibus adhibita sunt, media hic allegare praesens institutum non patitur, quod, per artes omnes & politicas & militares evagari, infiniti tantum non futurum esset laboris; unde ea tantum, quae artes & scientias liberales propinquius attinent, sub examen vocare nobiscum constituimus, Academias praecipue consideraturi, & ut suum Academiae Marburgensi, almæ

A

almæ matri nostræ, constituatur pretium, & aliquod debitæ in eam gratitudinis nostræ a nobis relinquatur monumentum, ipsam Academiae laudandæ essentiam & naturam Eidem ipso jure applicaturi. Id Deum O. M. orantes quam submisse, ut laudatissimam vere Academiam Marburgensem, frustra ringentibus malevolis, in vanum latrantibus ingratis ejusdem fortasse alumnis, in flore suo gloriosissimo conservare, & ad futuri temporis felicitatem novo quotidie floris sui incremento & augmento velit amplificare.

§. I.

Cum reip. ea sit obligatio, ut liberi non instituantur tantum & ad futurum vitæ genus præparentur, (THVMM. *Inst. Jur. Nat.* §. 429.) sed & idipsum ut fiat eo sumtu, qui parentibus minime est onerosus; id introductum etiam videmus, ut ea institutio & præparatio iis demandaretur viris, qui, publico nomine ad id officium determinati, ex publico etiam ærario aut alio ære publico alerentur & sustentarentur.

Hanc cum obligationem a Romanis minus observatam deprehenderet Vespasianus, teste SVETONIO in *Vita* cap. 18., constitutis a se Juventutis doctoribus salaria ex publico attribuit. Hinc Reges Imperatoresque Germanici, & cœnobita non tantum magno sumtu fundarunt, sed in ipsis diœcesibus Collegia Canonorum instituerunt, in quibus juvenus, ipsorum ditioni subiecta, ita educaretur, ut patriæ deinde suæ insigni posset esse & ornamento & adjumento. Conf. VADIAN. de *Colleg. & Monast. Germ. Vet.* Tom. III. *Script. Rer. Alemann. Goldasti.*

§. II.

§. II.

Est autem juvenus, & ætatis & aptitudinis suæ intuitu, vel talis, quæ prima literarum elementa, & linguam eruditis usitatam cognoscere tantum & tenacitum maxime, memoriæ, potest mandare, vel talis, quæ artes & scientias sublimiores atque in vita utiles intellectu jam maturiore assequi valet, easque inter se connexas & coordinatas perspicere potest & memoria retinere.

§. III.

Ex quo quam indubitate consequitur, multiplicem esse eorum cœvum indolem, in quibus juvenus in futuros reip. usus potest erudiri; vel enim ii tantum colliguntur docentium & discentium cœtus, ubi vel prima literarum elementa, vel linguæ etiam eruditis usitatæ cognitio tenaci discentium memoriæ committuntur, & eos *Scholas* dixerunt *Triviales*, vel *Pædagogea*, vel in cœtibus illis eæ traduntur scientiæ & artes sublimiores atque in vita utiles, quas intellectus jam maturior assequi, easque inter se connexas & coordinatas perspicere & memoria valet retinere, quo in casu cœtum & docentium & discentium *Studiorum Generalium* Nominem appellarunt prisci.

Quæ de Scholis Trivialibus & Pædagogeis rite instituendis commentati sunt complures, hic non adducimus, non possumus tamen omittere, quin specialiter commendemus *Celeb. Angli D. EACHARDI Tractatum de causis contemptus Ordinis Ecclesiastici* a Pl. Rev. Reinbeckio Germanice versum, qui præter alias contemptus hujus causas etiam iis annumerat miseram scholarum inferiorum conditionem, Es sind, damus ipsa verba: Die meisten Schulen so beschaffen, daß die allerwenigsten Menschen sich derselben mit Nutzen be-

dienen können. Wer sich nicht auf die Wissenschaften allein legen, sondern eine Kunst oder sonst ein gutes Handwerck, oder auch die Kauffmannschaft lernen will, findet bey den Schulen, so wie sie fast durchgängig eingerichtet sind, gar schlecht seine Rechnung: es wird in denselben auf die Reinigkeit und Rechtschreibung der Mutter-Sprache wenig gesehen, die Rechenkunst kommet sehr sparsam vor, zur Historie und Geographie werden entweder gar keine, oder die Woche nur ein Paar Stunden ausgesetzt; die Vernunft-Lehre und Meß-Kunst sind unbekandte Sachen. . . überdem sind die meiste Schulen so eingerichtet, daß, wer sich nicht vornemlich auf die Gottes-Gelahrtheit legen will, in denselben viele Stunden vergeblich zubringen muß. Ein solcher kan fast nichts anders, als ein Bißgen Latein, und dieses noch wohl schlecht genug, daraus mit wegbringen. Auch die andern, welche sich der Gottes-Gelahrtheit gewidmet haben, finden gar selten in den Schulen die gehörige Anweisung, Latein ist ihr vornehmstes Werck, und gleichwohl sollen diese Menschen ihren Gemeinden dermahl einst nicht Latein, sondern Deutsch predigen, daher geschicht es auch, daß sie hernach ganz undeutlich werden. Und dieser Mangel wird auf den hohen Schulen nicht ersetzt, indem die meisten sich gleich auf das Predigen legen, ohne den gehörigen Stoff dazu zu haben. Zur Noth, pergit idem Celeb. Auctor, hören sie ein Paar mahl ein Collegium über die Theses, besümmern sich, doch mit grosser Bequemlichkeit, etwas um die Hebräische Sprache, besuchen Stück-weise, bald bey diesem, bald bey jenem, die Lehr-Stunden, hören etwa, wenn sie können, ein Collegium Homileticum, und sodann sind sie fertig. Das Griechische sehen sie nicht wieder an, die Philosophie halten sie für unnütz, die Logick und Metaphysick ist ihnen lächerlich, die Physick überlassen sie den Arzney-Verständigen, oder den Neugierigen, mit der Mathematick wissen sie gar nichts anzufangen, und die ersten Grund-Sätze der natürlichen Religion werden von ihnen verachtet. Nun kan man sich leicht vorstellen, was dergleichen Leute, wann sie hernach in das Predigt-Amt kommen, für schlechte Helden-Thaten ausrichten

ten

ten Pönnen, hæc Celeb. Interpres in præfatione, a qua ipse Eachardus nequaquam dissentit.

§. IV.

Quod vero *Studia hæc Generalia* vel talia sint, ut gradus Doctorum in quavis facultate, aut Licentia eos gradus capeffendi, publica Supremi Magistratus auctoritate concedi non possint, eaque *Collegiorum Illustrium* nomine insigniri soleant; sin autem Gradus ipsi Doctorum aut licentia eos vel omnes vel saltem aliquos, pro ut Summo nimirum placuerit Magistratui, vel Academia, capeffendi publica Supremi Magistratus auctoritate concedi possint, cætus illi & docentium & discantium *Academiarum* nomine salutentur: Academias Scientiarum, utpote non docendæ juventuti, sed provehendis scientiis destinatas (Т Н V M, *Inst. Polit.* §. 150.) nunc non moramur.

Limitationem hanc, vel de omnium facultatum, vel de aliquarum saltem honoribus conferendis addere necesse fuit, ne eos Docentium & Discantium cætus ex Academia numero videremur excludere, in quibus summi honores Academici non in omnibus Facultatibus aut olim conferri potuerunt, qualis fuit ante annum 1697. Academia Altorfina, utpote quæ ante eum annum consuetos in Facultate Theologica honores Academicos nulli contulit Candidato; tales sunt nonnullæ aliæ Pontificiorum nostro adhuc tempore, quæ cum ab Ordine aliquo Religioso obtineantur, is Facultatis Juridicæ Medicæque Professores hætenus a communione privilegiorum Cæsareorum exclusit. Dum vero ad ipsam Academia constitutionem Supremi Magistratus auctoritatem poscimus, Pontificis auctoritatem extra ipsius territorium merito excludimus, quod privilegia Pontificia, extra illius territorium; nequaquam Academia constitutionem ingrediantur, etsi in antiquioribus quibusdam Acade-

A ;

miis

miis ea solícite olim flagitata & magnis curata impensis videamus, idque artibus potius Pontificum adtribuendum censeamus, metuentium, ne istiusmodi eruditorum cœtus occupatæ a Pontificibus potestati metuendi evaderent, ideoque ipsos docentes clericalibus privilegiis concessis sibi tanto magis obstringentium, quam ut ullam consensus & privilegiorum Pontificiorum ad constituendam veri nominis Academiam necessitatem liceat deprehendere.

§. V.

Ex his ipsis patet, ubi Academiæ laudandæ notionem formare quis voluerit, quamplurima ad eam ipsam jure postulari. Nam (1) Docentes ipsi considerandi veniunt, (2) ipsæ scientiæ artes, quas docentur Academici, negligendæ nequaquam sunt (3) quoad ipsos etiam Discipulos non una res solícitam postulat considerationem.

§. VI.

Et quidem ipsos Docentes quod attinet, quod ab eorum eruditione, fidelitate & industria ipse futurus reip. status magnam partem dependeat, quod, si illi, qui ab eorum eruditione & doctrina pendent, solide docti fuerint, in omnibus, a rep. olim ipsis committendis, muneribus reip. salutem promovere possint; e diverso, si in ipsa eorum, quibus reip. cura quacunque ratione erit committenda, eruditione genuina solidaque quidquam desideratum fuerit, non una reip. clades jure possit formidari, patet, Ipsum Docentem non notionibus tantum rerum docendarum distinctis instructum esse oportere, sed eundem etiam debere totam scientiæ illius, quam alios docturus est, connexionem
habere

habere perspectissimam, certe, ubi docens vocibus tantum, licet elegantissimis maximeque sonantibus, uti potest, ab ipsa tamen rei docendæ cognitione animum penitus rudem habuerit, non potest non fieri, quin docendus voces eas nosse quidem & iisdem uti possit, & tamen ab ipsa rerum cognitione mentem habeat procul remotam.

Exempla hujus veritatis, sat tristia, nobis suppeditat Historia Literaria, certe qualitates illæ Scholasticorum occultæ, entia illa rationis, modi superadditi, innumeraque alia tanto tempore nequaquam cathedras Docentium obtinissent, si primi istarum vocum doctores rerum, quas iis innuebant, notiones habuissent magis claras, aut, quod optandum ipsis fuisset, distinctas.

§. VII.

Notiones vero distinctæ cum eas in se complectantur notas, ex quibus res in omnibus circumstantiis cognosci & ab omnibus aliis discerni possunt, easque ipse Docens, consideratis rebus ipsis, ubi regulis experientiæ sese accommodavit, citra omne errandi periculum cum decerpserit, citra omne dubium est, easdem cum docendo quam tutissime communicari, si ipsas res, quarum notiones in scientia aliqua postulantur, ipsi docendo considerandas proposuerit, eaque ratione docendum de earundem veritate, citra prolixam demonstrationem, fecerit certissimum.

Laudantur hinc merito ii Docentes, qui allatis in medium exemplis, ex quibus notio formari potest, ipsum docendum ad ejusdem formationem manu quasi ducunt, non vero eandem typo descriptam suis tantum prælegunt auditoribus, fide non raro carbonaria veras habendas

das

das potius; quam ut tales ab ipso docendo citra omne dubium admittendas; quod vero eadem non raro notio a re honesta peti possit, quam a re etiam obscœna aut ipsi docendo penitus adhuc ignota, neque in ineunte ejusdem ætate ipsi citra magnam cautionem insinuanda, licet decerpere, cum Docentis sit, a se docendum ita formare, ut omni procul imperfectione perfectissimum is reddatur reip. suæ membrum, liquet Docentem illum contra ipsum Academiæ finem peccare, qui res obscœnas notionum cum docendis communicandarum causa in medium adfert, quod ea re & docendis & reip. ipsi noceatur. Qui vero res, quarum cognitio in docendo supponi nullo jure potest, ad formandas ex illis rerum notiones v. g. in inveniendis notionibus eloquentiæ veritates Mathematicas adfert, is insipienter agere dicendus est, quod media fini intento non servitura eligat; aut alia ratione culpandus venit, quod illa arte docendum adigat, ut vel ea, quæ discere cupit, ignoret, vel tempus illis, quæ discendi finibus necessaria non sunt, cum jactura necessariorum consecret. docentisque opes augeat.

§. VIII.

Imo, cum Scientiarum non tantum inter se sit connexio, sed & una eademque scientia illas, quas ambitu suo complectitur, veritates concatenet, quemadmodum ea concatenatio Docenti perspecta esse debet, ita & cum docendo quam clarissime est communicanda; adeoque ii contra officium suum agere censendi sunt Docentes, qui, dum eclecticicos agere volunt, rhapsodiam variarum positionum, etsi fortasse non omni verisimilitudine carentium, sed nulla inter se ratione connexarum, imo sæpenumero inter se pugnantium, suis proponunt auditoribus; agunt enim id, quod cum fine Academiæ & scopo discentium, utpote
qui

qui scientiam, adeoque veritates inter se concatenatas postulat, e diametro pugnat.

Multo igitur magis illi culpandi sunt Docentes, qui, dum veritatem aliquam suis proponere volunt & demonstrare auditoribus, a memoria & affectu aliquo suo seducti quadrata miscent rotundis, imo in vivos mortuosque atrocissimis sæpe contumeliis debacchantur, humanos eorundam errores, si qui sint, satyrico sale defricant, imo non raro muscam in elephantum commutant, eo tantum impulsu desiderio, ut iis, quos sibi obstare fingunt, noceant, suæque subserviant illaudatæ sane voluptati. Ea enim re non innoxia tantum aliorum famæ non raro detrahunt, iniustitiæ commissæ rei, sed pessimo auditoribus suis prælucent exemplo, ut & illi discant absentum famam rodere, affectibus male ordinatis contra ipsa Ethicæ principia solidissima indulgere, & cum aliorum damno sua tantum commoda, quæ stolidi sibi fingere possunt, consecrari.

§. IX.

Potius, cum omnis Docens alios docendos ad ipsam veritatem, & quæ facile cum ea conjungitur, virtutem manu debeat ducere & exemplo, ab eo merito postulatur, ut talem se præbeat, in quo docendus nihil possit reperire, quod, adstipulante veritate, ipse queat improbare. Vita proinde, cum veritatibus ore traditis conveniens eidem ducenda, quo ipso id simul obtinebit, ut, cum doctrina docendum imbuat, & exemplo eandem suo confirmet, auctoritate, quæ in omni docenti necessaria est, ipsis docendis fiet venerandus.

Errant adeo ii Docentes, qui singularitate methodi vivendi, vestitu elegantiore, jactata opum abundantia, aut subordinatis etiam emissariis auctoritatem sibi volunt conciliare. Etsi enim negari nequeat, rudes artium fraudulentarum animos in magnam de aliquo existimationem adduci

B

aliquo

aliquo saltem tempore posse, quod tamen ipsa experientia istiusmodi etiam, rerum imperitis, oculos aperire soleat, aut aliorum etiam iudicia cum ipso discente possint communicari, quin auctoritas, Docenti necessaria, corruat, imo ipsa tradita ab illo doctrina, est necesse.

§. X.

Auctoritate cum Docentibus opus sit, eaque veris, non apparentibus, & acquisita & conservata mediis (§. 9.), in Academia vero docentium cœtus ipsi sint Docentes, liquet, non unicuique tantum Docenti curandum, ut mediis honestis eam, quam officium a se suum postulat & eidem permittit auctoritatem, tueatur, sed & unicuique reciproce incumbit, ut mutuis officiis aliorum auctoritatem tueatur, &, quantum salva veritate fieri potest, amplificet. Conf. THVMMII *Inst. Polit.* §. 137.

Contra omnem adeo sanam rationem illi peccant Docentes, & multiplicem, quæ sibi incumbit ex aliis etiam Ethices principiis, obligationem quam gravissime turpissimeque violant, qui, vel ut docendorum omnis pecunia in suas confluat areas, vel ut apud rerum imprudentes soli ipsi Musarum Hercules & Scientiarum Atlantes audiant, stolidorumque digitis monstrantur, imo, atque si uni ipsi noscant, quid Jupiter Junoni in aurem dixerit, ab imperita plebecula existimentur, aliorum collegarum suorum, sive absentium, sive præsentium, auctoritati derogant; Si qui sint errores, humanæ infirmitati suam referentes originem, eos satyris suis augent, vitia animi coloribus turpioribus depingunt, imo in ipsa mentium arcana ingressi, ut suæ tantum litent libidini, ambitioni aut avaritiæ, quidquid vel umbram censuræ mereri videtur, id ipsum virgula non tantum censoria notant, sed eos se gerunt, ut, nisi cum Tullia juniore per prostrata Serviorum corpora sacrilego ipsi effedo evehantur, nequaquam, quod EOBANVS HÆSSVS joci causa nomen
sibi

sibi tribuebat, Reges esse videantur. Graviorem vero cen-
suram illi merentur, qui, non contenti aliorum Docentium
auctoritati clam, palam, voce, literis derogasse, in ipsas
etiam disciplinas procacem linguam exerunt, &, ut sua di-
sciplina omnem videatur necessariæ eruditionis chorum in
se complexa, alias scientias earumque in docentes utilitatem,
quibuscunque possunt artibus, elevant, imo ridendam pro-
ponunt, cœtuum eruditorum dicendi potius detrimenta
quam ornamenta.

§. XI.

Etsi autem Academia præcipue eorum usibus insti-
tuta sit, qui ad eam studiorum causa commeant, adeo-
que Docens ideo id satagere debeat, ut summa cum
fide & industria ipse scientias, cum officio sibi commif-
so conjunctas, publice privatimque Academicos ad se
confluentes doceat; cum tamen reip. totius causa ipse
Docens illustris illius cœtus pars sit, id ab ipso Docen-
te merito postulatur, ut omnibus aliis reip. membris
sua ipse scientia prodesse nitatur; id vero cum voce so-
la fieri nequaquam possit, ea est Docentis obligatio, ut
editis in publicum scriptis, reipubl. utilibus, de omnibus
reip. membris præclare studeat mereri.

Emerget sane multiplex ex eo utilitas, nam & ipsi Aca-
demici, qui ab ore Docentis pependerunt, inspectis ejusmo-
di scriptis memoriam eorum, quæ laudatissime utilissimeque
ipsis coram tradita sunt, inspectis ejusmodi scriptis re-
novabunt facilius, & veritates & rei publicæ & privatæ
utilissimas multo solidius retinebunt; illi vero, qui aut ejus-
dem cum docente, aut alius etiam, reip. membra sunt, &
vel per ætatem vel officia vel alias quascunque causas ean-
dem frequentare prohibentur, perlectis istiusmodi scriptis,
& distincte & solide conscriptis, utilissimarum harum veri-
tatum sibi comparabunt notitiam cum publica & privata uti-

litate conjunctissimam, imo ipsi Docenti, istiusmodi Scripto-
rum auctori, famam ea res & celebritatem nominis apta est
conciliare.

§. XII.

Cum itaque docens & Docendo & scribendo reip.
prodesse teneatur, famam etiam & celebritatem nomi-
nis acquirere obligabitur. Patet hæc ipsa Docentis obli-
gatio nominis celebritatem acquirendi ex eo, quod Do-
cens pars sit Cætus Academici, cujus felicitatem omni
ratione tenetur promovere, non poterit autem cætus
illius felicitas procurari commodius certiusque, quam si
Docentes, cætum istiusmodi constituentes, magnam
nominis celebritatem aut jam acquisiverint eamque no-
vis semper laboribus eruditis augere satagant, aut quo-
tidiana industria acquirere conentur.

Posset hic oriri quæstio, quisnam Docens Academiæ
alicujus felicitatem promovere magis queat, adeoque alteri
præferendus videatur, ille nimirum, qui magna jam nomi-
nis fama patitus est? an ille, qui, solida scientia instructus,
fidelitatem & industriam in officio suo peragendo junget,
nulla singulari nominis celebritate adhuc ornatus? qua in
quæstione etsi prior plurimorum videatur laturus calculos,
nos tamen, disputationis gratia, pro secundo nunc pugna-
bimus, idque *primo*, cum Docens eruditionem cum fide &
industria copulare debeat, ut demonstratum, hanc poste-
rior magis conjuncturus credi potest, atque prior; si enim
ætatem utriusque inspiciamus, posterior plerumque robore
& corporis & animi erit valentior priore, quia eodem est
ætate vegetior, quod ad nominis celebritatem consequendam
multa jam ætas, docendo transacta, postuletur, rarique illi
sint, qui ineunte ætate virili eam sibi circumdedere famam,
quæ ad nominis celebritatem postulatur. Accedit *Secundo*,
quod docens ille, qui nulla adhuc nominis fama resplendit,
tenuiori

tenuiori contentus salario officium debeat oblatum acceptare, eoque ex capite industria sua eas quasi opes supplere, quæ eidem ad vitam pro dignitate muneris transigendam necessariae videbuntur, & hoc ipso opum conquirendarum studio, cujus obligationem fufe satis demonstratam dedit Illustris WOLFFIUS, tanquam stimulo efficacissimo ad fidem & industriam solidæ eruditioni suæ adjungendam impellatur, quod ipsum ad Academiæ totius splendorem, frequentiam & felicitatem quamplurimum sane conferet. Cum vicissim, fama jam super æthera motus, Docens, ubi ad novam aliquam evocatus Academiam accesserit, quod, non nisi lauto invitatus stipendio, illuc venturus non sit facile, si docendorum frequentiam nactus non fuerit, sed illi notis jam Doctoribus suis adhæreant, celebritate nominis sui & lauto stipendio contentus, ab ipsa industria facile timeri possit discessurus, quod eo careat industriae stimulo, quem tenuæ alias stipendium alteri, pro dignitate tamen vivere volenti, facile suppeditabit. Ad quæ *tertio* & hoc adjungi potest, quod ipsa istiusmodi Docentis jam celebratissimi ætas illis naturæ careat igniculis, qui necessarium unicuique Docenti in concatenatis illis officii gravissimi difficilisque laboribus ardorem & alunt & affuso quasi oleo constanter foveant; alacritas illa corporis animique paulatim sufflamatur, præsertim si morbi, ejusmodi vitæ generi magis familiares, accedant, imo, cum ipsæ scientiæ, ne fastidium creent Discipulis, condiendæ non raro sint elegantia aliqua & venustate, quæ & discendi molestiam tollat, & pudorem & continentiam, ineunti discipulorum ætati summe necessariam, nequaquam offendat, Viros ætate graviores, etsi celebratissimos, in novam aliquam Academicam translatos, elegantia illa facilius destituendos facile cuivis liquebit, nisi forte, non sine injuria tam splendidi ordinis, eos fingamus Docentes, quales comædi plerique esse solent, qui, quas unicuique fabellæ proprias memoriæ mandarunt elegantias & lepores, in theatrum producta eadem fabula de fideli memoria reddunt,
ubi

ubi ab hac deferuntur, insulti futuri & insipidi, nisi forte cum OVIDIO lascivire illis permittatur.

§. XIII.

Docens, cum & rei publicæ & Academicæ perfectionem teneatur promovere, finem hunc sibi præfixum omni opera patratique omnibus actionibus ad eum necessariis ut acquirat, satagere tenetur. Obligatur adeo esse Diligens.

Diligentiam enim dicimus Commissionem omnium actionum, qua cum certo fine committenda sunt.

§. XIV.

Actiones vero inter, quas ad finem suum obtinendum Docens peragere debet, refertur merito & Scriptio (§. XI.) & ipsa instructio, (§. VI.) cum publice tum privatim cum ipsis Docendis communicata; debet igitur Docens, ut diligentiam, ad quam obligatur, exerceat, & data occasione, Scriptionem rerum ad eruditionem pertinentium sibi commendatam habere, & tempus, cum publicis tum privatis lectionibus destinatum, statutis diebus & horis quam maxima cum sollicitudine adimplere.

Ut igitur is Docens laudandus nequaquam est, qui, suppeditata sibi occasione de publico scriptis suis bene merendi, hanc ipsam negligit: ita & vituperandus ille, qui horas, docendo destinatas, aut abbreviat, aut citra gravem rationem absque eo, ut Auditores suos doceat, elabi sibi permittit. Neque etiam is ab omni liberandus culpa, qui, quas ipse docendo destinavit horas, ita protrahit, ut Auditores, qui sequentem immediate horam alteri designarant collegio, eidem mature satis adesse nequeant.

§. XV.

§. XV.

Inter ea, quæ Docens ad promovendum rei literariæ statum scribendo conferre potest, merito referendæ sunt disputationes publicæ, quod per eas & veritas, Docendis tradita, iisdem aut magis inculcetur, aut contra invalescentia hæctenus præjudicia certius stabiliatur, aut ipso etiam disputandi exercitio ipse, qui omni erudito adesse debet veritates sibi indubias propugnandi habitus, in ipso Docendo & acquiratur & confirmetur. Diligens adeo (§. XIV.) cum Docens esse debeat, neque, data occasione, a scribendis disputationibus suam ipse operam unquam poterit subtrahere.

Sunt, non diffitemur, non raro illa, quæ disputationum præsidii offeruntur honoraria aliquibus in locis adeo tenuia, imo non raro labor & molestia, quæ eidem creantur, tanta, ut gratuitam ille operam disputationibus istiusmodi impendere videri possit; Non tamen ex eo induci nos patimur, ut statuamus, Docentem in casu etiam laboris gratuiti, ne dicamus honorarii tenuioris, ab obligatione disputationibus præsidendi absolvi posse, dummodo sint, qui Docentis præsidium, ut par est, rogent.

§. XVI.

Et cum vi diligentia Docens omnes actiones suas ita efficere debeat, ut finem sibi præfixum obtineat, eas vero inter actiones sit, & lectionum sive publicarum sive privatarum docendis apta, inchoatio & absolutio, quin vi ejusdem obligationis, qua ad diligentiam obligatur, Docens ad lectiones suas tempore docendis apto inchoandas & absolvendas obstringatur, ne dubitari quidem potest.

Liquet id ex usu omnium laudandarum Academiarum, utpote quæ, quod Docendi ineunte vere aut autumno ad eas-

C

dem

dem accedere aut ab iisdem discedere soleant, curricula Lectionum Academicarum ita ordinarunt, ut ineunte novo curriculo Academico novæ etiam a Docentibus lectiones inchoentur, aut curriculo exeunte habitæ absolvantur. Cum enim docendi, in Academiam adventantes, sumtus facere cogantur, inhumanum semper visum est, si Docendis sumtus facere sit necesse, neque tamen eos ita liceat collocare, ut quæsitus eruditionis fructus per sumtus hosce non obtineatur non tantum, sed & non raro ipsis adventantibus, dum non habent, quæ in acquirenda eruditione agant, male agendi occasio ea ratione subministratur; idem est de iis, qui, exeunte curriculo aliquo, ab Academia discedere debent. qui, si non absolutis illis, quas audiendas susceperunt, lectionibus abire cogantur, facile aliquem in eruditione sperata defectum persentiscunt. Ut adeo ab iniquitate eum absolvere non possimus Docentem, qui, ut numerum v. g. commensalium retineat majorem, aut strenas aliaque donaria ab auditoribus suis emungat, lectiones suas, quas istiusmodi abiturientes frequentant, prolatat, ne maturius ex voto illi suo ex Academia possint discedere.

§. XVII.

Sunt in Academiis docendæ cum solide tum diligenter scientiæ utiles, cum vero utilitas ea spectari possit, vel quoad animam vel quoad corpus; & si in ordine ad animam consideretur, vel utilitas ea considerari possit vel in hac vel in altera vita; in Academiis constituendi sunt Docentes, qui solide & diligenter doceant eas scientias, quæ utiles sunt animæ ad felicitatem ejus in altera vita procurandam. Et, cum has scientias Theologia Revelata complectatur, renunciandi sunt in omni laudanda Academia Docentes Theologiam Revelatam. Constituendi adeo in omni Academia, quæ omnes laudandæ Academiae fines sua institutione ut assequi

sequi

sequi possit, instituta est, Theologia Revelata Professo-
fores.

§. XVIII.

Cum vero omnis Docens solide (§. III.) docendum
instituire debeat, his ipsis Theologia Revelata Professo-
ribus incumbit, ut solide ipsi veritates revelatas do-
ceant; non itaque satisfacit suo ille officio, qui vel no-
tionibus rerum docendarum distinctis, aut, ubi ex ha-
beri non possunt, claris saltem instructus non est, aut
veritatum, quas alios docere vult, connexionem non
percipit, sed vocibus tantum, nulla determinata notio-
ne instructis, aërem cedit & aures Docendorum pulsat.

Quæ ex non observata hac Docentium obligatione in
Ecclesiam Christi invaserit clades, notius est, atque ut fuse
hic a nobis debeat explicari, certe si illi, qui docendi offi-
cium sibi assumpserunt, notiones rerum docendarum distin-
ctas ipsi formare studuissent, si ipsarum veritatum inter se
nexum percepissent, neque vocibus tantum nulla determi-
nata notione instructis, abuti voluissent, multa profecto
schismata locum non invenissent, neque ii, qui sic dicto-
rum hæreticorum catalogum augere gestiunt, tam copio-
sam messem potuissent reperire. Ii vero, qui sensibus al-
legoricis, anagogicis aliisque ejusdem farinae meditationi-
bus humani intellectus, docendos detinent, iisque S. Scriptu-
ræ sensum a se tradi cogitant, quod non revelatas veritates,
sed suas cogitationes, cum Docendis communicent, non le-
viter errare pronunciandi sunt.

§. XIX.

Alia scientiarum cum animo, tum corpori, uti-
lium species est Scientia justæ & æquæ, quod vel ab ipsa
recta ratione tale esse cognoscimus, vel ex Legislatorum
voluntate ut tale subditis definitur, cum adeo (§. XVIII.)

in Academia docendæ sint Scientiæ utiles, constituendi igitur in omni Academia Juris Professores.

Peccavit adeo HONORIUS III. Papa, dum in *cap. super specula 28. de Privil. lib. 5. Tit. 33.* non permitit, ut Luteriæ Parisiorum in studiis generalibus legantur jura civilia Romana, nec in civitatibus vicinis, sed voluit, ut aliæ artes primæ & Philosophia & Medicina & Jura Pontificia legantur & audiantur. Quod hujus prohibitionis causæ loco adfertur, quod ibi non sit jurium civilium usus, & civitates vicinæ moribus & consuetudinibus regantur, id aliquam prohibitionis hujus probabilitatem adferre posset, si extra omne esset dubium, Jus Romanum e tota penitus Gallia exulasse; at. si tum hæc ratio strinxisset, & Jus Canonicum pari ex causa prohiberi debuisset, quod ea, quæ Germanis eo tempore obtrusa erant Jura Pontificia de investitura Episcoporum per baculum & annulum, etsi in aliquot celebratis in Gallia conventibus approbata, ne nostro quidem seculo in Gallia locum obtineant, &, nulla capitulis relicta electione, ipse Rex regni sui Episcopos nominet.

§. XX.

Quod vero Jura sint diversa, Naturæ nimirum, Civile, Feudale, Publicum alicujus Imperii, Regni vel etiam Provinciæ, Gentium, Statutarium loci uniuscujusque, & Ecclesiasticum, quod vulgo Canonicum dici solet; in Academia vero docendæ sint scientiæ utiles, liquet in omni Academia constituendos esse Docentes, qui jura hæc & solide & diligenter cum docendis communicent, eorumque principiis hos quam curatissime instituant.

Hinc, *L. unic. de Stud. liber. urb. Roman.* Cæsares Romani cum habuissent olim in studiis generalibus urbis, in capitolio privilegiatis, certas tantum artes, iis postea, ab ipsa in Remp. suam utilitate conviæti, addiderunt studia Philo-

loso-

lofophiæ & Legum Civilium, ita ut duo essent Professores
Juris, qui leges explanarent.

§. XXI.

Quod vero jura, præcipue Civilia, sint Leges a
summo Magistratu latae, quæ aut certis reip. statibus
aut determinatis, in rep. enascentibus & invalescentibus,
defectibus, accommodatae vel sunt vel oppositæ, cum
Docens solide Docendum erudire debeat, nemini non
facile liquebit, in dilucide explicanda quavis lege, aut
ad certum reip. statum, aut ad determinatos defectus,
advertendum esse a Docente animum, quo ea ratione
cum Docendo notiones distinctas aut claras saltem &
determinatas communicet.

Ex quibus illud, vel nobis non monentibus, etiam ap-
paret, cum status illi certi aut defectus etiam vel ut indivi-
dua vel ut species considerari possint, ab intellectu, abstra-
hendi artis non ignaro, complures ejusmodi status & defe-
ctus ad notiones universales, & certis vel individuis vel spe-
ciebus communes, reduci, adeoque veritates juris univer-
sales formari & cum docendis communicari posse. An ve-
ro totum Jus Civile Romanum in systema aliquod veritatum,
inter se connexarum, Mathematico systemati simile, reduci
unquam possit, de eo dubitant permulti Juris Consultissimi;
nos vero, exercitii disputatorii causa, Jus totum Civile Ro-
manum in tale systema reduci non posse, nunc defendemus.

§. XXII.

Nova Scientiarum, cum toti humano generi, tum
singulis etiam hominibus utilium, species est Scientia
Salutaris vel Medicina, quæ & corpus humanum in sua
sanitate conservare, & ubi infirmum illud fuerit, sani-
tatem eidem reddere & in priorem perfectionis statum

idipsum restituere docet; cum ergo omnes scientiæ utiles in Academia laudanda doceri debeant, & scientia hæc salutaris publice privatimque est docenda, adeoque constituendi Professores Medicinæ, qui & solide & diligenter artem hanc salutarem doceant.

Notum est ex historia Medicinæ literaria, Scientiam hanc primum quidem certis quibusdam fuisse quasi hæreditariam, adeo, ut **CONRING** *Introd. in Univ. Art. Med. c. 1.* non vereatur scribere: Successores Æsculapii Medicinam veluti hæreditario jure acceptam posteris tradidisse. Notum est, tres medicorum scholas Coam, Cnidiam & Siculam fama fuisse celeberrimas, sed eas ipsas inter se plane non consentientes. Neque ignoramus, scholam illam Salernitanam, auctore *Constantino Africano* post seculum a Christo Nato duodecimum excitatam, & multis celebratissimis medicis famigeratissimam. Adfert multos laudatus **CONRING**, *loc. cit. c. 3.* viros scientia rei Medicæ æternam nominis famam meritos; at ex hoc nequaquam fluet, Artem istam Salutarem in Academiis tractandam non esse, quod enim omnes scientiæ utiles locum in Academiis sibi postulent, & hæc eum jure sibi vendicabit, præcipue, quod Medicinæ cultores in Academiis & aliarum disciplinarum, quæ ad ejus & pleniorum cognitionem & ad ornatum non parum conferunt, in Academia inveniant uberrimam facultatem.

§. XXIII.

At vero, & Theologia & Jurisprudentia & Medicina ut solide addiscantur, non postulatur tantum habitus ratione sua recte utendi, sed & multæ aliæ Disciplinæ, ante cognitæ, prærequiruntur, quas vulgari vocabulo Philosophicas Disciplinas appellare consueverunt, sunt ergo & in Academia bene constituta ii constituendi Docentes, qui Disciplinas Philosophicas & solide & diligenter doceant.

Atque

Atque hinc non Valentinianus & Theodosius Impp. tantum voluerunt, ut in Capitolio, quod nostrum vocant auditorium, sint primum, quos Romanæ eloquentiæ doctrina commendat, Oratores quidem tres numero, Grammatici decem; in his etiam, qui facundia gravitatis pollere noscuntur, sint etiam Sophistæ. Et quoniam non his tantum artibus adolescentiam optabant institui, memoratis Magistris profundioris quoque scientiæ sociant auctores; unum scilicet iis adjungunt, qui Philosophiæ arcana rimetur, ut memorat GREGORIUS Tholosan. *de rep. lib. 17. cap. 6.*; sed in omnibus laudatissime constitutis etiam Academiis Disciplinarum Philosophicarum Professores non invenimus tantum, sed & ab eorum industria & eruditione reliquarum facultatum florem pendere observamus.

§. XXIV.

Complectuntur autem Disciplinæ Philosophicæ non Philosophiam tantum universam, Logicam, Metaphysicam, Physicam, & Experimentalem & dogmaticam, Philosophiam Practicam universam & Mathesin, sed etiam Historiarum & Antiquitatum diversarum cognitionem, Eloquentiam cum solutam tum ligatam, linguarumque, cum sacrarum, tum etiam exoticarum, Docendis in vita olim utilium, notitiam.

Docemur idipsum non ab ipsa tantum consuetudine, quæ, diuturno docta usu, has omnes in vita humana & Scientiarum sublimiorum cognitione acquirenda summe salutare est experta, sed ab ipsa etiam Disciplinarum Philosophicarum appellatione convincimur, cum enim Philosophia sit scientia omnium possibilium, cur & quatenus sunt possibilis, objecta vero harum disciplinarum ita cognita sint possibilis, quin philosophicæ merito dictæ sint, non licet dubitare.

§. XXV.

§. XXV.

Cum adeo (§. XVII.) in laudanda Academia constituendi sint Docentes, in ea etiam constituendi sunt Docentes omnes Philosophiæ partes, ordinandi sunt Docentes Historiarum & Antiquitatum diversissimarum cognitionem, alendi sunt ii, qui Eloquentiam cum Solutam tum Ligatam, & Linguas cum Sacras tum Exoticas earum cupidos solide fideliterque doceant.

§. XXVI.

Finis, quem discentes sibi obtinendum præfigere possunt, cum non sola sit animi cultura, sed, ad varios reip. usus, imo privata etiam discantis commoda, corpus illius exerceri debeat, dubitari non potest in laudanda Academia & eos ali debere Magistros, qui, Exercitiis Equestribus solide & fideliter discantibus traditis, eosdem ita forment, ut & sibi ipsis utiles & reip. varia in occasione possint esse salutares.

Unde factum, ut in laudandis Academiis & ii alantur Viri, qui exercitorum istorum cupidos doceant eleganter equos in gyrum flectere, eorumque opem ad innumera vitæ humanæ commoda adhibere; qui armis in sui aut aliorum defensionem utendi artem cupientibus tradant, aut varia circumgyratione & tripudiatione ad numeros musicos scite corpus movere doceant, aut athleticam etiam aliasque artes elegantiores volentibus tradant.

§. XXVII.

Hic vero Docentium Cœtus, laudatissimis reip. commodis unice destinatus, cum innumeris subjectus sit molestiis, laboribus, imo, nascentibus ex ista docentium sorte, morbis diversissimis, æquum judicarunt sapientissimi rerump. moderatores, ut Cœtum istiusmodi

modi

modi insignibus non tantum ornarent privilegiis, jurisdictione & honoribus, sed & ipsorum Docentium industriam lautis excitarent salariis, ne, dum de publico præclare mereri satagunt Docentes, privata premantur penuria & in ipso senio miseria conficiantur, aliorum digitis monstrandi. Potius quod honos, ut militi vitæ propriæ contemptum ingenerat, si sperari ab illo victore possit, ita & artes alat, & ardorem inflammet Docentium, eosdem & honoribus & salariis & privilegiis ornandos decrevere.

Non excitabimus ea, quæ FRIDERICVS Imp. enumerat in *Authent. habita, ne filius pro patre*, non enarrabimus, quæ præter ANDREAM MENDO, in *Tractatu de jure Scholasticorum & Universitatis seu Academico*, commemorant RUFFUS in *Tractatu proprio de Privilegiis Scholasticorum*, BECMANNUS de *Studios. Privil.* aliique, quod veritatem, a nobis propositam, omnium Academiarum laudandarum in doles concordi quasi lingua eloquatur. Quod sapientissimi rerum Moderatores simul viderent, ea ratione a se obtinendum, a viris, in scientiis & artibus excellentibus, docentium munus, licet fastidii plenissimum, nequaquam esse fastidiendum.

§. XXVIII.

Atque hinc nequaquam permisere, ut homines importuni Docentibus ullam facefferent molestiam, quod agnoscerent, tardia, ab importunis faceffenda, impedimento esse, ne animus scientiis & artibus excolendis & ad majorem perfectionem provchendis totum se possit explicare.

JOHANNES Galliarum Rex, cum pro eo redimendo a captivitate, qua tenebatur, ab Anglo fuissent imposita & postulata subsidia a Gallis, & decima præstanda ab omnibus

D Ec:

Ecclesiis Gallicanis, noluit tamen, ut importunus exactor aliquis Academiae Parisinae aut ejus Doctoribus & Scholasticis ratione subsidii hujus aut decimae ullam faceretur molestiam, sed immunem jussit esse Academiam. Conf. GREGOR. *Tbolos. Lib. XVIII. cap. 7. §. 13.* qui plura illius immunitatis exempla eo in loco congerit.

§. XXIX.

Tanta vero cum laudatissime collata sint in cœtum Docentium, ut Docendorum perfectionem in reipubl. communis salutem promoveant (§. III.) & bene meritis postulantibusque gradus & privilegia Academica conferant. Curandum iisdem studiose, ut amorem Docendorum sibi concilient, quo ita hi in frequentandis illorum disciplinis magis indefessam collocent diligentiam, & Docentes voluptate perfundere satagant.

Cum vero amor sit dispositio animæ ad percipiendam voluptatem ex alterius felicitate, voluptas vero exurgat ex cognitione perfectionis alterius, liquet, Docentem laudato aliquo & constanti amore a docendis constringi non posse, nisi laudanda & vera in ipso Docente cognoscatur perfectio, adeoque ipsum Docentem ad id obligari, ut veris non apparentibus perfectionibus fulgeat, verique adeo nominis virtutibus sit condecoratus, ut eorum, quæ vitiosa sunt, horrorem monstret, & ea non tantum a seipso, sed & ab aliis & imprimis Docendis, quantum in suis fuerit viribus positum, cum suaviter tum efficaciter conetur amoliri, tantum abest, ut ipse vel minimam illorum occasionem Docendo subministret, aut ab aliis, se sciente, patiatur subministrari.

§. XXX.

§. XXX.

Pars Cœtus illius eruditi sunt Discentes, qui in Academiis cum ad perfectionem propriam, tum etiam ad Reip. totius incolumitatem educantur, (§. 5.) tales ergo eos esse oportet & animi & corporis dotibus, quæ ad finem hunc consequendum pertinent. Adeoque Discentium numero non promiscue quicumque adscribendi sunt, sed, habito ingeniorum selectu, ad quodvis studiorum & artium genus ii tantum admittendi, qui ingenii dotibus & necessaria corporis dispositione præditi sunt. THUMMIG. *Instit. Polit.* §. 144.

Viderunt hanc veritatem Sinenses, ideoque eos, qui scientiis, illo in Regno æstimatis, operam dare secum constituunt, ad illas nequaquam admittunt, nisi rigidissimis ante exploratos examinibus, adeo ut ille, qui in examine primo approbari non meretur a censoribus rigidissimis, ab ulteriori in altioribus disciplinis progressu excludatur. JUVENCIUS in *Hist. Societ. Jesu.* Neque nos Pontificiorum exempla moramur, qui nonnullos sæpe ad altiores admittunt disciplinas, qui ad debitos in iis profectus faciendos inepti sunt, quod recepti inter eos ordines monastici & illis indigeant hominibus, qui, etsi sublimiorum scientiarum ignari, cantu suo ecclesias impleant, & boatu hoc suo vitam transigant, non penitus inter illos juxta constitutionem ecclesiæ ipsorum inutilia futura terræ pondera.

§. XXXI.

Si vero tenuioribus hisce sed capaci præditis ingenio, defint studiorum sumtus, stipendia & beneficia iisdem sunt conferenda, dotibus ingenii ipsorum proportionata; non tamen ea, quæ luxus occasionem queant suppeditare, ut studiis obstacula ponantur.

Hinc MAURITIUS, Elector Saxonix, ex vacantibus cœnobiorum bonis communitati Lipsiensi legabat annua

nua duo millia florenorum, & cœnobium Paulinum concede-
 debat. Lovanii in quatuor Collegiis mensa gratuita præ-
 betur tenuioribus; alibi alia beneficia pecuniaria ad prove-
 henda studia iis, qui apti sunt, ut eruditione sua Reip. olim
 profint, liberaliter conceduntur; ita tamen ut ab Ephoro-
 rum & Præpositorum suprema inspectione caveatur, ne be-
 neficia illa & stipendia præbeant occasionem fini studiorum
 contraria efficiendi. Conf. *LUCÆ Europæischer Helicon*
 pag. 50. 137. & alibi.

§. XXXII.

Vicissim ipsi Discipuli, quod finem & nobilis-
 simum & laudatissimum sibi præfixum habeant, imo
 aliorum etiam opibus non raro sustententur, ad id ob-
 ligantur, ut omnia, quæ ad scientiam, cujus ope Reip.
 utiles olim esse volunt, tanquam media conducunt,
 summa diligentia & sedulo labore pernoscant.

Liquet ea obligatio cum ex obligatione Juris natura-
 lis tendendi ad perfectionem propriam & aliorum, tum ve-
 ro ex ipsa justitia, quod enim beneficia & stipendia illis den-
 tur eum finem, ut se aptos reip. præstent, hanc vero ipsi
 conditionem, admittendo beneficia & stipendia, acceptent,
 ex tacito quasi pacto, quod non raro explicitum etiam est,
 nova sese obligatione obstringunt, adeo, ut, si ea, quæ
 debent, non præstent, ad refusionem sub conditione per-
 ceptorum quam justissime adstringentur.

§. XXXIII.

Ad illa vero cum non tantum Ordo, qui scien-
 tias inter intercedit, si sancte observetur, & plurimum
 conducat, & plane sit necessarius, sed ipsius etiam Di-
 scipuli Docilitas, Diligentia, Obedientia & Gratitude
 postuletur, ad omnia hæc discipulum obligari nemo
 non videt.

Quia enim, ut optime *WOLFIUS Psychol. Empir. §.*
 399, in omni probatione cogitationes Ordine procedunt,
 ipse

ipse Ordo etiam ad cognitiones distinctas plurimum confert, Ordo discendi & summe necessarius est & plurimum eidem conducit. Docilitas, quæ hic est Dispositio animi ad aliorum de rebus addiscendis iudicia non prima statim fronte contemnenda, Docendo necessaria etiam est, alias enim vel cadet in animi elationem, profectibus in eruditione faciendis plane contrariam, vel, cum persuadeat sibi ipsi, se res jam penitus cognoscere, occasiones discendi sibi aut patietur elabi, aut in præjudicatis opinionibus pertinaciter hærebit, neque ex intellectis aliorum rationibus veritatem discernere poterit. De Diligentia vero (§. 13.) quis dubitare poterit? cum enim Docendus ex eo fine pars sit Cœtus Docentium & Discentium, ut studiis literariis navet operam, adstringitur ex fine electo, ut nullam earum actionum omittat, quæ ad finem hunc obtinendum committendæ sunt, quod quam omnino sine Diligentia præstari nequeat, usus ipse quotidianus omnes docet. Denique, quod Docendus pars sit Cœtus illius, qui (§. 27.) jurisdictione in omnia Cœtus illius membra ornatus est, quin Docendus Obedientiam præstare debeat, adeoque habere promittudinem faciendi ea, quæ vult, & non faciendi ea, quæ non vult is, qui in hoc Cœtu imperandi jus habet, extra omnem est controversiam, quod Cœtus nullus citra obedientiam subditorum consistere diu possit. Gratitude obligatio patet ex eo, quod omni benefactori grati esse debeamus, WOLFF. *Moral.* §. 834, adeoque etiam Docentibus, utpote qui, perficiendo ipsum Discentem, quam maxime eidem benefaciunt, adeo ut jam olim omnium calculo probatum sit, Parentibus & præceptoribus nunquam posse reddi æquivalens.

§. XXXIV.

Gaudet, fatemur, Docendus in Academia Libertate Academica; gaudet variis privilegiis, immunitatibus & Honoribus, quibus (§. 27. & 28.). Cœtus Docentium & Discentium instructus esse debet. Verum

ex eo nequaquam inferre licet, quod a Jurisdictione ejus, qui in hoc Cœtu imperat, sit omnino absolutus.

Cum enim, ut optime WOLFFIUS *Horar. Subseciv. Tom. III. pag. 661.*, Libertas Academica sit quidem Independentia actionum studiosi, qua studiosi, a voluntate aliorum, ita ut studiosus liber sit, quatenus in determinandis hisce actionibus non dependet ab aliorum voluntate, sed eas determinare potest, pro ut lubet; ex eo tamen neutiquam sequitur, Studiosum agere posse omnia, ita, ut omnem superioribus suis debitam negligat obedientiam. Dum enim declarat, se velle esse Civem Academicum, promisso hoc suo se obligat ad leges academicas servandas, adeoque in tantum libertati academicæ in se spectatæ, renunciat, quantum hæc per eas limitatur. Unde & Libertas Academica duplici modo spectari potest, nimirum vel quatenus spectatur in se, citra respectum alicujus academix determinatæ, & illa potest Naturalis vocari, & de illa valet allata modo definitio. Vel quatenus Libertas Academica spectatur in relatione ad statum certæ alicujus academix, cujus civis est Academicus, & eam licet appellare positivam, potestque definiri, quod sit independentia actionum studiosi a voluntate aliorum, nisi quatenus aliqua actio lege Academica prohibetur. Ex qua definitione cum etiam pateat, Academico, qui volens se legibus academix illius subjicit, actiones aliquas per legem Academicam prohibitas esse; extra dubium est, Academicum obstringi, ut juxta hanc legem Magistratui Academico præstet obedientiam, nisi velit Libertatem Academicam mutare in Licentiam Academicam, quæ loc. cit. §. 9. pag. 676. & definitur & debitis depingitur coloribus.

§. XXXV.

Ex his patet, quod Academia Laudanda sit Cœtus Docentium & Discipulorum, privilegiis, honoribus & jurisdictione (§. 27.) instructus, in quo & traduntur Scientiæ & artes sublimiores & in vita utiles (§. 3.), & Gra-

Gradus Doctorum, aut Licentia vel omnes aut aliquos capessendi, publica Supremi Magistratus auctoritate concedi possunt (§. 4.), ipsi vero Docentes ea sunt perfectione, quæ ad tantum pertinet officium (§. 6. §. 8. §. 10. §. 12. §. 15. 16.) & Theologiam revelatam (§. 17.), Jurisprudentiam (§. 19. & seq.), Medicinam (§. 22.) & Disciplinas Philosophicas (§. 23. 24.) docent, præter eos adsunt (§. 26.) qui exercitia equestria tradant; Discentes vero iis sint & animi & corporis dotibus, quæ ad finem, Academia præfixum, obtinendum pertinent (§. 30.), in quo tenuiores adjuvantur stipendiis & beneficiis (§. 31.), ipsi vero observato Ordine, declarata Docilitate, Diligentia, Obedientia & Gratitude obligationi suæ satisfaciant (§. 33.), neque Libertatem Academicam vertant in Licentiam (§. 34.).

Quod enim laudandum illud sit, quod existimatione & honore dignum est (WOLFF. *Jur. Nat. Tom. I. §. 544.*), existimatio vero sit judicium de perfectione alterius, & honor consistat in actibus externis, quibus id judicium declaratur; Academia sane istiusmodi laudanda erit, quod perfectionem ea debitam habeat, omniaque in illa in hoc conveniant, ut finis, Academia præscriptus, certo debeat obtineri.

§. XXXVI.

Consideremus nunc almam matrem nostram, Academiam Marburgensem, &, quod de perfectione ejus judicium nobis publice hic declarandum sit, gratissimi ejusdem cives & filii investigemus.

Merentur id gratitudinis cujuscunque testimonium ingentia illa, quibus ab Academia Marburgensi quotidie exornamur, beneficia, ut ea saltem ratione illam, quam

E de

de perfectione ejus concepimus existimationem cum aliis communicemus.

§. XXXVII.

Et vero, si totam Academiae Marburgensis indolem consideremus, est ea Cœtus & Docentium & Discipulorum, privilegiis, honoribus & jurisdictione instructus.

Docet id nos ipsa Caroli V. confirmatio, anno 1541. die 16. Julii Ratisbonæ concessa, in qua Academiae Marburgensi omnes illæ conceduntur immunitates, privilegia & gratiæ, quibus aliæ in S. R. I. Academiae gaudent, ita ut Academia Marburgensis talis haberi & coli, & omnibus aliarum academiarum honoribus, dignitatibus, juribus, jurisdictione & consuetudinibus gaudere, uti & frui debeat. Et vero ut iis ipsis Academiam Marburgensem hætenus gavissam fruitamque esse, ipsa quotidiana docet experientia, ita & jurisdictione gaudet in omnes Academiae suæ cives, imo in ipsa bona ei sustentandæ a Fundatore Gloriosissimo clementissime concessa. Docet nos hoc non tantum ipsum Serenissimi fundatoris testamentum, in quo Principibus Filiis imperat, daß die Universität sollen unsere Söhne bey denen Gütern, die sie haben, bleiben lassen, sed ipsi etiam Serenissimi Fratres in pacto hereditario id ipsum perpetuis futuris temporibus inviolatum observari debere decreverunt, verba sunt: So haben wir uns . . . verpflichtet, daß wir erwähnte Universität in ihrem Wesen, und bey guten hergebrachten Ordnungen treulich handhaben, verthätigen, und nicht geringern noch mindern, sondern vielmehr, nach Möglichkeit, in Besserung bringen wollen. Imo ipse Serenissimus fundator, cum anno 1563. controversia enasceretur, cuinam multam propter simplicem fornicationem reo indicendi jus esset, datis anno 1564. die 23. Jan. ad Principem Burckhardum a Cram & Consiliarios literis testatur, se Academiae & unicuique ejusdem Rectori dedisse simplicem jurisdictionem in omnes & singulos Academiae cives,

cives, ideoque definit, multam ea tempestate reo alicui dictandam in fiscum Academicum referendam esse; cujus jurisdictionis actus adeo frequenter exercuit academia, ut integrum hic istiusmodi reorum punitorum syllabum possemus contexere. Neque desunt Privilegia quamplurima Serenissimorum Principum rescriptis longe Clementissimis & Docentibus & Discipulis indulta, quæ inter merito referendum est spatium sane perampulum Discipulorum venationibus & recreationi honestæ a Serenissimo CAROLO quam clementissime destinatum & amplificatum.

§. XXXVIII.

Facultatem Summos in omni facultate Honores aut eos capeffendi licentiam concedendi Academiae Marburgensi adesse, quotidiana ita testantur exempla, ut huic veritati probandæ ulteriorem velle operam impendere, sit lumen soli inferre.

Interea id singulari Academiae Marburgensi cedit prærogativæ, quod honores illos ambientium examina eo cum rigore suscipiantur, ut inauditum sit hic, quod alibi actum novimus, ut honores Doctoris illi conferrentur, qui, cum argumenta in disputatione publica sibi proponenda scripto communicata accepisset, ne legere quidem poterat, & cum opponens scripsisset, *atqui verum prius ergo & posterius*, legebat: *atqui verum prius ergo & posteriorius*, insigni sane documento, Paduam migrasse in Germaniam.

§. XXXIX.

Ipsos vero in Academia Marburgensi Docentes quod attinet, ea illi sunt scientiarum, quas facundissimo ore profitentur, solida cognitione, ea notionum distinctarum in scientiis clementissime commissis copia, ea illas cum discipulis communicandi facilitate, ea veritatum inter se concatenatarum cognitione vere profunda, ea vitæ cum veritatibus a se traditis conformitate, & quæ inde enascitur, auctoritate conspicui, ut

momus ipse vix quidpiam possit desiderare. Neque defunt scripta virorum longe Celeberrimorum & Diligentissimorum exasciatissima, quibus hæc ipsa, quæ adstruimus, vel nobis tacentibus & profundo silentio tantam eruditionem venerantibus, veritas longe verissima se omnium oculis insinuat.

Possemus hanc veritatem adstruere subjecto Catalogo copiosissimo illorum scriptorum, quæ a viventibus adhuc in hac Academia Viris multo Excellentissimis Celeberrimis varia occasione edita sunt, eoque in pretio habita, ut multorum exemplaria jam a cupidis illorum in officinis frustra inquirantur, sed, cum ea recensuerit *kurze Historie der Hessischen Gelehrtheit*, in bibliopolarum catalogis etiam legi possint, aut aliorum etiam ephemeridibus sint non sine encomio memorata, nos hoc labore hic supersedemus.

§. XL.

Neque in academia hac nostra defunt lectiones cum publicæ, tum privatæ, disputationes aliaque specimen publica, & quod caput est, lectionum illarum & inchoatio & absolutio Discipulorum commodis aptissima.

Testantur id non indices tantum Lectionum Publicarum Privatarumque, qui singulis Semestribus typis describuntur, sed etiam ipsa experientia, dum quisque Docentium pro gravissimis licet, quibus occupatur, negotiis id tamen curat, ut protractis ultra præfinitum tempus collegiis Discipulis sumtus nequaquam faciat minus necessarios, aut discessuros illis, quæ nosse ante discessum cupiebant, fraudet. Ipse Rex Suecorum Potentissimus, Princeps & Dominus longe Clementissimus, de quo *WOLFIIUS Hor. Subsec. Tom. III. pag. 170.* scribit: Academiam novis indies documentis convinci, quam provida sit Patris Patriæ Vigilantissimi cura, ne quidquam desiderari possit, quod ad formandum juvenum ingenia & mores quocumque modo conducere videtur, ne inutilis esse posset Discipulorum in Academia nostra

nostra

nostra commoratio, receptas in quamplurimis Academiis *ferias festivas, caniculares aliasque*, proponente idipsum Virorum Diligentissimorum in Discentes amore, quam Clementissime voluit abrogatas, ludosque simul illos vetuit severissime, qui, solis sortis variae casibus expositi, pecuniam, aliis rebus necessariam, non iisdem tantum eripiunt, sed variorum non raro casuum funestissimorum occasionem alibi praebent persequentem; imo & illis injecit frenos, qui, ut juventutem improvidam suis emungant pecuniis, eidem res, non necessarias neque ad finem Academicum conducentes, facile credunt, molestis deinde litibus ad solutionem compellendae, jussit insuper, ut varii sumtus, alibi a promovendis impendendi, tollantur, quo honoribus digni minori illos pretio possint obtinere.

§. XLI.

Neque desunt, qui equos domare, pugillatu corpus exercere, choreas scite & eleganter ducere, Italice, Galliceque loqui, aut diagraphicen etiam curiosos doceant Viri, in sua quisque arte peritissimi.

Quod enim Serenissimi Academiae Nutritores & harum elegantiarum non levem sciant utilitatem cum publicam tum privatam, quem non sine magno sumptu, Serenissimus Pater inchoaverat, Rex Augustus absolvi jussit hippodromum, agitandis equis aptissimum, ludumque saltatorium quam accommodatissimum aperiri Clementissime imperavit.

§. XLII.

Quod vero Discentes, ne desideratus vitae Academicæ finis frustra desideretur, iis debeant esse animi & corporis dotibus, quæ ad hunc finem impetrandum sufficiunt, tenuiores etiam stipendiis & beneficiis debeant adjuvari (§. 35.), in Academia hac neque stipendia desunt nec beneficia, neque etiam necessaria dotium illarum exploratio.

Hinc enim laudatissime instituta sunt & eorum, qui ex Hassia in hanc Academiam veniunt, & illorum, qui beneficiis ornari ambiunt, uti & semestria illorum, qui stipendiis liberaliter concessis volunt adjuvari, examina, ne in eos illa conferantur, quorum dotes ad ea non pertingunt, quæ ab illis, qui in Academia sublimiores excolunt disciplinas, in reip. & Ecclesiæ commoda jure expectamus. Unde neque illi gravate sortem suam ferre possunt, qui aut sua negligentia aut naturæ iniquitate dotibus illis carent, ideoque, ut dignioribus locus illorum concedatur, ab habitis removentur aut stipendiis aut beneficiis.

§. XLIII.

Neque est quod de ordine, a Discensibus observato, eorum Docilitate, Diligentia, Obedientia & Gratitude multa dicamus; hæc enim ab hac Marburgensi Musarum

E 3

sede

fede nequaquam abesse posse ille facile videbit, qui Ordinem, Soliditatem Auctoritatem aliaque §. 39. adstructa considerabit.

Neque enim credibile est, ipsos Discentes Virorum Diligentissimorum & Solidissimorum exemplis non movendos, ut ipsi in sua commoda ea non exercent, quæ Tantos Viros in commoda Discantium non interruptis laboribus vident agitare. Et qui poterit abesse ab iis Obedientia erga Magistratum sola Discantium commoda curantem? qua ratione poterit exulare Gratiudo ab iis, qui tantis se beneficiis affectos vident? nisi omnem plane humanitatis sensum exuerint, digni, qui non in Musarum sinu & amoribus blande habeantur, sed a quibus malum non discedat, utpote ipsis brutis immaniores, quæ beneficiis domari & aliquo gratitudinis sensu imbui possunt.

§. XLIV.

Ad hanc Academiae Marburgensis indolem sane laudatissimam accedit adhuc ex Serenissimorum Principum voluntate Pædagogeum Illustre, quod a primis Academiae incunabulis ad nostra usque tempora Pædagogearcha & quatuor Præceptoribus ornatum fuit, qui juventutem, in ipsorum disciplinam convolantem, Linguarum latinæ, græcæ & hebraicæ fundamenta doceant, in ipsa vero lingua latina eam discipulis suis soliditatem adferant, ut non tantum profa orate & emendate scribere, sed etiam carmine cogitata sua reddere assuefiant, in ipsis vero Religionis Christianæ capitibus solide instruantur.

§. XLV.

Ex quibus omnibus id, quod agendum suscepimus, quam clarissime patet, Academiam Marburgensem ea esse indole, ut Academiarum Laudandarum numero ex ipsa sua essentia inferi omni jure mereatur.

Ridendi adeo sunt illi, qui, ut sua tantum commendent, Academiam Marburgensem minoris aestimant, illique suam, variis licet defectibus fortasse scatentem, præponunt, miserandi vero fuerunt illi olim, qui Viros in hac Academia & scientia & auctoritate gravissimos ideo ridiculos facere voluerunt, quod modestiori corporis cultu uterentur, neque ficto capillo, quem miserandi illi irrisores a suarum amasis dono acceperant natalitio, iisdem similes incederant. Iniqui vero illi & injusti habendi, qui contra ipsam rei veritatem aut scientiarum soliditatem aut accuratam temporis in absolvendis collegiis præscripti observantiam Marburgi desiderant. Nos ut nobis gratulamur, quod in laudandum adeo Cœtum recepti simus, ita Deum O. M. demisse rogamus, ut eam Academiae Marburgensis Naturam vere Laudandam, suffectis in decedentium loca Viris tanto Cœtu dignissimis, sub Clementissimo Augustæ Donus Hassiæ imperio illibatam & immutatam conservet ad seculorum usque.

FINEM.

Coll. diss. A. 47, misc. 51